Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2447
Quelle:
Copyright:

1347. Redundat igitur librarii vitio et ſupra in *Praef.* et hic et in Epiſtola ſequente X. reſcribendumque M°. CCC. LIII. Epiſtola haec tertia ab Archiepiſcopo data eſt *dilecto nepoti magiſtro Richardo radulfi rectori eccleſie lycboloi* (ſic.) *canonico Nublatenſi* Romam et ſubſcripta eodem loco, anno et die. In hac Georgius dicitur *filius cuiusdam nobilis commorantis Neapoli ſed de regno Ungarie* et *vidiſſe mirabilia de viuis et mortuis de ſaluatis et perditis. Que uero*, continuat Richardus, *noſtra perſona nobis expreſſit ab eo cum ad uos uenerit fortaſſis faciet uos ſcire aut prudenter poteritis extorquere.* His literis accedit *Priuilegium Pauli prioris et Conuentus inſule purgatorii ſancti patritij datum In finibus ſeu finalibus partibus mundi in Craſtino ſancti Nicolai epiſcopi Anno domini* M°. CCCLIII°. *Priuilegium domini Nicolai* (Mac - Cataſaid mort. 1356.) *chlocborenſis epiſcopi. Datum in ciuitate noſtra chlocborenſi in Craſtino natiuitatis domini. Anno eiusdem* M°. CCC°. LIII°. Denique *Priuilegium domini Johannis de fronwichk prioris ieroſolimitani. Datum in manerio noſtro kylmainaz die mercurij proxima poſt conuerſionem ſancti pauli apoſtoli.* Quae omnia idem teſtantur. Conſequitur jam ipſa hiſtoria, qua narratur Georgius noſter *filius nobilis et potentis viri domini Criſſaphani* (ſic) *de Ungaria militis ſicut clariſſime in Romana curia probatum eſt per quam plures nobiles milites et ſcutiferos ac eciam religioſos vngarie nationis homines conſtitutus in apulie partibus capitaneus per Illuſtriſſimum principem et dominum dominum Regem vngarie ſuper quamplures ciuitates et caſtra quamplurima et ſingulariter ſuper quandam ciuitatem que dicitur Troya* (in Provincia nunc vulgo Capitanata) *ſituatam in marittima prope ciuitatem kray in karyli que wlgariter dicitur karleton et ſuper multa caſtra videlicet Aniſſeiam et alia quam plurima* valde crudeliter egiſſe praedando et caedendo, ſed tandem in ſe reverſus petiiſſe Romanam Curiam, ibique facta exomologeſi, ſuſceptoque ad *D. Jacobum in Galloeciam* itinere, ea in regione ſex ipſis menſibus vitam duxiſſe ſolitariam, dein vero, ubi ab Anachoreta de *S. Patritii Purgatorio* intellexiſſet, illud adeundi impetum cepiſſe. Hic jam locus purgatorii, ritus, quibus initiantur, qui in illud admitti poſtulant, et viſa ibidem Georgio objecta deſcribuntur. Sunt vero Scenae XXVIIII. quarum VIII. inſcribitur: *De apparicione patris georij et trium fratrum.* Adparent ſcilicet quatuor Cacodaemones perſonati, qui illum ad abnegandam Chriſto fidem incaſſum ſolicitant, neque aliud inde diſcere licet, niſi *Stephanum* fratrum minimum Georgio cariſſimum fuiſſe. Ultima hanc rubricam praefert: *De ambaſiatis georij.* Tempora vivendi Principum, ad quos *Michael* Archangelus mandata perferenda tradit Georgio, mire concordant. Sunt autem praeter *Richardum Armachanum* et *Soldanum babilonie Eduardus* III. Rex Angliae cum

ejus